73

JO. CASPERIS MALSCHII,
Illuſtr. Gymnaſ. Durl.
Prof.

HEROICORUM
JUVENILIUM
MONOBIBLOS.

BIBLIOTECA NAZIONALE
1872
FIRENZE

FRANCOFURTI AD MOENUM,

Sumtibus JO. HENRICI REBERI,
ANNO M DCCII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Perilluſtri ac Generoſiſſimo

EQUITI,

DN. REINHARDO DE GEMMINGEN IN HORNBERG, &c.

ET

Nominis & Virtutum Maximi

PARENTIS

EX ASSE HAEREDI,

Bene rem gerere publico bono precatur

JO. CASPER MALSCHIUS,
Prof.

ANnus jam labitur duodecimus, Nobilium decus, REINHARDE, cum in convictu Scholisque Michaelis Bulyovvskyi, viri in omni doctrinæ genere ad unguem expoliti; com-

munis utriuſque noſtrûm Præceptoris, humaniorum literarum ſpacia decurreremus. Ibi magna cum admiratione mea primum intellexi, quod antea neque ſciebam, neque ſane per ætatem ſcire curabam: quæ eſſet mentium nobili ſtirpe generatarum indoles, quæ vis. Nam cum viderem, eam in TE, tum ſane peradoleſcentulo, præter ſummam & oris ſuavitatem & vocis, eſſe docilitatem ingenii, ut celeriter arripiendo, quæ traderentur & æquales tuos anteires, & grandiores adſequerere: fateor, unde TIBI tantus ac tam incredibilis ad omnia motus eſſet, minus explicabam. Scimus hoc omnes, quibus in condiſcipulatu TEcum vivere contigit; & fortaſſe me certe internuncio, deferetur ad poſteros. In rebus maximis, medioximis, minimis quod judicium Tuum? quam acre? quam non ad ætatem Tuam? memoria vero quanta? quam fidelis? quam tenax? ut & infantiam Tuam ad illius fidem exigeres? De diligentia autem quid dicam aut commemorem, cum ingenii viribus ac memoria contendere; hac vero nobiſcum etiam dimi-

care

care viderere? Quæ cum non raro, uti ætas illa noſtra facile erat irritabilis, in plurimis invidiam; in me certe leviuſculum dolorem moverent: quidnam id eſſet, quod TE præter cæteros tantum allevaret, mirabundus requirebam. Igitur cum animum ad inſpiciendam propius indolem veſtram hominum generoſorum aliquanto magis adjeciſſem: aliud & item aliud ex alio colligens ad ipſa tandem cubilia perveni. Habent ſcilicet illæ animæ divinæ, quod inficias eat nemo, mutum neſcio quid ac tacens, quod eos inſtar Dæmonis cujusdam Socratici monet, exſtimulat, rapit, ſi recte gubernentur, ad ſolidum decus. Nunquam in extremis; ſemper ad principia: quicquid agunt, quicquid moliuntur, unum illud atque unicum præcipue cordi, αἰὲν ἀριστεύειν. *Rarus calcarium; frenorum non infrequens uſus, domandique natales illi ſpiritus, inque gyrum æquabilitatis, temperantiæ, moderationis reducendi. Nempe non eſt ſola naſcendi ſors; neque nudorum nominum hæreditatem cernitis: eſt aliud porro, quod vos eximit plebe, quod*

humo tollit, animus ad præcepta virtutis non mediocriter rapax. Habet enim vim ingentem communicatio generis ac ſanguinis, ut nemo deſperet, quæ majores ſui geſſerint, ſe poſſe præſtare; nunquam arbore generoſa, ubi in feraci ſolo conſita ac ſtudio culta curàque aſſidua ſit, deteriores fructus gignente:

Fortes creantur fortibus ac bonis,
Eſt in juvencis, eſt in equis patrum
Virtus; nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Magnum etiam in indole nobili relinquit aculeum eorum recordatio, quæ majores ſumma cum laude fecerunt; animique immane quantum incitantur, conſpectis avorum ſuorum imaginibus, titulis, honoribus, elogiis, ſtatuis, columnis ac pyramidibus, ad agenda ea, quibus generis atque ortus ſui faciant fidem. An P. Scipionem, is qui primus nomine gentis ab ſe victæ eſt nobilitatus, otio diffluere, marcere vino ac commiſſationibus, volvique fœdiſſimarum libidinum cœno ſiviſſent pater ac patruus diu victores, rebus maximis geſtis, in acie pro Rep.

Digitized by Google

fortiter dimicantes interfecti? Aut ejuſdem adoptione nepos parietibus ſe domeſticæ gloriæ continuiſſet æquo animo, cum illinc ſtimulos avus, hinc Pater Paulus faces admoveret? Pleni ſunt omnium gentium annales exemplis hujusmodi; ex quibus luſcitioſius ſit oportet, qui non videat, nec videat ſolum; ſed ultro fateatur: ESSE profecto AEmilianos in curribus ſtantes aliquanto plus, quam imagines mutas. Vivunt illi maxima ſui parte ſuperſtites, inſpirantque occultum quoddam robur. Quod ſi quando contingit ut heroum filii, quod proverbio jactatur, noxæ ſint: id plerumque prava parentum educatione accidere dicendum eſt, quorum indulgentia exitiabili fit, ut ille majorum ſpiritus acer ac vehemens cum ipſa memoria præclare factorum ſenſim animis effluat. Sed neque hoc diſſimulandum ſilentio eſt; quod, etiamſi ab recta via deflectant aliquando nobiles adoleſcentes, in errore tamen non perſiſtunt, ſed ſe ſtatim recipiunt ad bonam frugem, ſimulatque in egregia geſta ſuorum intuentur. Unde ſimul conficitur,

Digitized by Google

non homines, ſed fungos quoſdam, ad ſimilitudinem humanam factos, habendos eſſe, qui, majorum contenti gloria, ipſorum umbris ac minutis oſsibus omnia debent; qui avorum, hoc eſt, alienas, non ſuas virtutes, jactant. Nam qui impulſu libidinum voluptatibus obedientium, merita majorum, ſi modo illa macula ulla adſpergi poſſunt, vita turpiter acta inquinaverunt, ac ſpecioſum illud Nobilitatis nomen, quo inflati tument, in ſcelerum ac flagitiorum licentiam convertunt: eos certè non ex illo genere fungino, ſed belluino quodam immaniſsimo, cui catenas injici mos eſt, eſſe dicamus; quorum nomina revulſa è majorum faſtis æternis oblivionis tenebris damnentur. Ut enim fuſtuario exdorſuandi, qui, patriis bonis dilapidatis, in nepotum ac decoctorum grege conſpiciuntur; nullo nomine, numero, cenſu: ſic certe ſupplicio ſervili digniſsimi, qui ſplendorem nobilitatis, qui vexilla, qui phaleras, qui clypeos ac criſtas majorum, nequitiarum ac libidinum tenebris obſcurarunt. Hæc ego quum antea minus cognoſſem, quod & ingenii

genii

Digitized by Google

genii vitio, & ætatis non minus eſſem acutus, Tua fuit inprimis excellenti ad omne literarum genus alacritate perfectum, ut in eum quem ſcripſi, modum, de univerſa indole Nobilium philoſopharer. Itaque, quaſi conſolandi cauſa; Nihil enimvero mirandum, ad commilitones ſæpe dixi, ſi adoleſcens & antiquitate generis, & gloria majorum florentiſſimus, ſtudio veriſſimarum laudum & noſtram & Tuam ipſius ætatem ſuperares. Prodigii potius ſimile futurum, ſi, cum ingenii præſtantia principatum cederes vix cuiquam, flexum expectares ætatis, quem, quocunque Te rapuiſſet ad ſumma pernix animus, eo Tuorum aliqua veſtigia deducerent. Quorum memoria, quæ viget ac vigebit, quouſque benefactis pretium conſtabit; ſi maxime fuiſſet vel incuria ſcriptorum, vel temporum ſcævitate obliterata: TIBI tamen per Patrem ac patruos Tuos non licebat eſſe deſidi. Qui utrum Nobilitati ſuæ ſplendorem addere ſtudio literarum ſummarum; an literis Nobilitate ſua voluerint; ambigitur haud nihil. Eos certe, nemine quid-

quam obnunciante, Nobilitatis erudita Proceres ac Deos juſtiſſime vocaverit poſtfuturorum ætas. Tu vero, Domine, quod mecum fatebuntur, quibus cor ſiniſtrum ſalit, & adoleſcentulus nobis teſtibus; &, poſtquam nos disjecit turbo Martius, in hunc uſque diem & illorum antiqua, & recentia horum veſtigia ita perſecutus es, ut omni Nobilitati Germanicæ, tanquam novum & memorabile virtutis & eruditionis ſpecimen aſſeſſeris. Latuit hactenus, tanquam nubibus oppreſſus Sol, ſic in peregrinationibus variis virtus Tua; ſed, ut è longinquo radii longe lateque pellucèrent. Unde non poſſum integumentis ſilentii velare, gravem Tibi paratam adverſariam, incredibilem expectationem Tui: quam hac una re facilime ſuſtinebis, ſi te primo quoque tempore accinxeris iis rebus gerendis, quarum rerum gloriam à puero adamabas. Tibi certe tanquam haud dubio literarum principi, jamjam ſubparaſtratur altera pars muſarum mearum; quæ cum judicio eorum, quorum aliquod in hoc ſtudio muſico nomen ac fama eſt, non impro-

Digitized by Google

improbarentur, typographeis ſubnexæ pedibus ad Te mirabiliter ituribant. Idq; eo minus impedire fuit, quod jam ante hujusmodi quiddam ad Patrem ac Patruos Tuos, Viros Illuſtriſſimos, miſeram: ut non injuria viderentur ad filium affectare viam. Quid ergo reſtat, quam ut & φημῶντες ad Te patiamur exire, & ea fortuna, quam es daturus, frui? Dum igitur majora moliamur, quæ profecto molimur, digna conſpectu, digna patrocinio veſtro: habe interim hoc à me ſcloci filo deductum munus, quod in hoc tempore potui, non quod volui adornare; eiq; non ex ſua dignitate, quæ nulla, pretium, ſed ex animo meo face; cui in TE colendo ſuſpiciendoq; nulla rerum vis, nulla diuturnitas temporis præſcribet modum. Certe, ſi, quod in hominis fabrica deſiderabat reprehenſor Momus, TIBI liceret per feneſtras pectoris mei, qui ſit animi erga TE mei ſenſus, quam eximia voluntas, intueri, & opinione & prædicatione mea reperias ampliorem. Vale, aureum priſtini ſeculi λείψανον; quem, ſi recte addixerunt auguria, domeſtica

Digitized by Google

& majorum nobilitate illuſtrem, ob egregias virtutes, in omni memoria poſteritas colet.

Sive Elego leni, ſublimi ſive cothurno
Incedis, *Malſchi*, ſemper amate mihi:
Ingenium felix utravis arte recludis;
A tenero colui quod pater ungue tuo.
Pieria vives charta, calamoque diſerto:
Nec te permittet vena beata mori.

Cl. AUCTORI, olim diſcipulo, nunc collegæ, & amico æſtumatiſſimo,

MICHAEL BULYOWSKY de DUŁYCZ, Pro-Rect. & P.P.

LECTORI BENEVOLO
EDITOR.

STatuerat Auctor loco Præfationum Diſſertationes de ſpiritu Poëtarum perſequi, itemque adjungere, quæ ſibi de doctrina & exercitationibus Orationis ligatæ veniſſent in mentem, & ſingulis poëmatum ſuorum libellis præfigere. Sed admonitus iſta commodius in peculiari volumine pertractari; tum quod negotium eſſet prolixius; tum quod nondum certum, ecquando eſſent reliqui poëmatum ſuorum libelli prodituri: argumentum pergere deſtitit, & uno ſe faſce complexurum eſt pollicitus. Itaque exſpectabis, B. L. Commentationes ejusdem de iſto argumento, ſeorſim una cum Diſſert. de Natura, Generibus, Virtutibus ac Vitiis Elegorum, &c. à nobis edendas; & interim habe libellos hos duos carminum; quæ non reprehendi potes ex judiciis quibuſdam clariſſimorum in hac arte videre; quorum aliquot ex multis ideo addenda cenſui, ut intelligeres, nos auctoritate tantorum virorum commotos editionem ipſorum ſuſcepiſſe. Irrepſerunt autem mendæ quædam quæ nec à no-

à nobis, ob ſcripturæ genus minutum, nec ab Auctore, qui longe abſuit, auſerri potuere. Hæc volebam neſcius ne eſſes. VALE.

ERRATA TYPOGRAPHICA.

In Monobiblo Elegorum.

Pag. 11. *lin.* 24. *dele* τὸ non.

Pag. 12. *l.* 14. *lege virtutum tuarum* εἴδωλοι & punctum interjacens aufer.

Eadem pag. pro baſque *lege* abſque.

Pag. 14. *l.* 4. *poſt* rerum Eccl. *adde* Directoris.

Pag. 15. *l* 19. *pro* leges, *leg.* Reges.

Pag 24 *l.* 17. *pro* nota, *lege* nata.

Pag. 27. *poſt ult. verſum adde ſequens diſtichon:*

Ipſe ego criſtatæ mactabo inimica volucris
Exta tibi, inviſum porriciamque caput.

Pag. 36. *l.* 5. *pro* Bulycz, *leg.* Dulycz.

P. 40. *l* 18. *pro* Thermodoonte, *leg.* Theromedonte.

P. 46. *l.* 11. *pro* ſi, quæ, *leg.* ſi quæ.

Ead. l. 21. *pro* ſin movet, *leg.* ſummovet.

P. 70. *l.* 1. *pro* ſynceri, *leg* Synceri.

Sic enim ſe vocari voluit, repudiato gentilitio nomine, Sannazarius; ad exemplum Pontani, qui Joviani nomen aſſumſit, ut apud Jovium eſt.

In Monobiblo Heroicorum.

Pag. 37. *l.* 14. *pro* repentem, *lege* repetentem.

P. 41. *dele Hexaſtichon ultimum*

P. 43. *l.* 14. *pro* accendis. *leg.* accendit.

Ead. l. 24. *pro* quam inſincera. *leg.* quamque inſincera.

P. 45. *l.* 7 *pro* mihi, *leg.* nihil.

P. 46. *l* 7. *pro* Taurum, *leg.* Faunum.

Ead. l 12. *pro* vocabis, *leg.* vocabit.

Ead. l. 24 *pro* in, *leg.* ni.

P. 47. *l.* 12 *pro* lucida, *leg.* lurida.

Ead. l. 15. *pro* Tuſco, *leg.* luſco.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

I. Piſces amico cuidam dono mittit.

PLene Deo, vates, niſi te graviora morantur,
Et curas ſupero paulum deflectis olympo,
Huc adverte animum, quæ lævo à margine Nicri
Exul, inops, exſpes, non longa eſt fabula, narro.
...regrina ſequar. Paſtor, tua maxima cura,
L... igere pecudis Corydon, his forte diebus,
Exiit in ſilvas, & in alta valle reliquit
Balantes ipſis cum matribus immemor hædos.
Ipſe magis progreſſus erat: cum triſtia ſecum
Fata, Deoſq; ſuos, mutataq; ſidera verſans,
[Vix erat ille ſuus] non longe à litore Nicri
Siſtit iter, paulumq; animo defixus, & amens,
Voce vocat Nymphas, quæ cærula rura ſecabant.
Conveniunt paſſim vitreis Nereides undis,
Crinibus humentes, operoſæ cultibus omnes;
Pars violam, & variis texunt ſibi ſerta lapillis
Sacraq; nectareo perfundit membra liquore;
Pars etiam rutilis diſtincta monilia baccis
Ter quater immergit vitioq; repurgat ab omni:
In medioq; Nicer, cui tempora cingit arundo,
Cæruleoſq; toros glauco velabat amictu.
Ipſe ſed à collo, miſeri ſolatia luctus,
Arripuit calamum, Phrygiiq; foramina buxi,
Inſonuitq; modos, quos longe exaudiit amens
Faunus, ab apricis cum collibus iret ad umbras
Audiit ipſe Nicer, Nicriq; parentis alumni,
Naiadumq; chori; fulicæ audivere volantes,

Digitized by Google

Et madidi toto requierunt litore mergi.
Hiq́; etiam quatuor, ripa ulteriore remoti,
Dum plangunt biſida, Piſces, vada cærula cauda
Mobilibus ſubito pinnis, rictuq́; ſupino,
Ad numeros cannæ, celeri venere natatu,
Attonitiq́; ſono paſtoris fata dolebant.
Interea, qui ſæpe puer comitare ſolebat
Paſtorem Lycidas, quo non præſtantior alter
Vel captare manu, ſi ſit via forte, vel hamo
Squamigeras pecudes: ut primum carmine captos
Immemoresq́; ſui vidit fluitare per undas:
Nec mora, projiciens humentia lina, profundo
Extraxit ſalientem udo de carcere prædam,
Atq́; adfligit humi. Si quid mihi credis amico
Sic periiſſe juvat! ſua ſi modo viſcera tanto
Grata fuiſſe viro, manes portabit ad imos
Fama, malum quo non aliud velocius ullum!

II.

HYMENAEUS IN NUPTIIS
Dn. IOH. ANDREÆ FROMMANNI,
U. J. Doct. & Prof. Tub. & Nobiliſſimæ virginis
ANNÆ LOUYSÆ natæ Rhülianæ &c.

Juvenes.

VEſper ab Heſperiis ſolito folgentior undis
Exit, & optatæ meminit præcedere noctei:
Surgere jam jam tempus: hymenq́; indicere nuptæ
Convenit, & cupido luctantem adferre marito.
Hymen! O Hymenæe! Hymen ades! O Hymenæe!

Puellæ

Puellæ.

Hem! jovenes cantu teneras excire puellas?
Nec pudor eſt ollis? viden', ut jam noctifer ignis
Reſſerat Oetaos, & cælo ſidera ſurgant?
Non temere eſt: ecce in circlom coïere repente,
Signaq; neſcio quæ, voltis manibusq; loquuntur.
Forte canent meditata: ferentq; à virgine palmam.
Hymen! O Hymenae! Hymen ades! O Hymenae!

Juvenes.

Ecquis erit, juvenes, qui mecum inſignia laudis
Endogredi, noſtrisq; volit concurrere Nympheis?
Cernitis, ut muſſint? liquidis ut vocibus auctai
Ad digitos teretis innupta carmina tornint?
Difficilis mehercle eſt victoria. Namque morantem
Heſperon, & cara metuentem infeſta puella
Serius umbriferis tollentem volta cavernis
Heu! nimium magno neglleximus intervallo.
Olla jam ſua penſa danunt: vincine decorum eſt?
Hymen! O Hymenae! Hymen ades! O Hymenae!

Puellæ.

Heſpere, per cælum quo non infeſtior ignis
Volvitur, endoferens optata oblivia lucei:
Quid tantum inſontes de te meruére puella?
Quidve anima meruere pia? volut hoſtica prada
Ducitur, & juveni virgo donatur amanti.
Ecquid in evorſa faxit crudelius urbe
Gracia, barbaria lento conliſa duello?

Digitized by Google

Hymen! O Hymenae! Hymen ades! O Hymenae!

Juvenes.

Heſpere, per cœlum quo non magi' polcrior ignis
Volvitur, endoſcrens inviſa oblivia noctei:
Hoc certe inſontes de te meruére puellæ;
Hoc animæ meruere piæ. Nam præda ſuäpte
Ducitur, & juveni virgo donatur amato.
Hoc faciunt divei: quorum cœleſtia templa
Ollæ ſollicitant: fiunt connubia fato.
Hymen! O Hymenae! Hymen ades! O Hymenae!

Puellæ.

Heſperus & fureis tenebris in nocte latentis
Contegit, & pariter cupidos involvit amantis
In thalamo molli, craſſo velamine. & umbris:
Et fures noctu-vigilei, & male conſcia claram
Lucifero veniente diem turba odit amantum.
Hymen! O Hymenae! Hymen ades! O Hymenae!

Juvenes.

Hem ſcelera! ut ſancto faciunt convicia amori?
Ut pipulo lacerant optatæ exordia lucei?
Ut fugiunt verbo, quò tota mente feruntur?
Quid tum, ſi carpſint? amor olis libera res eſt.
Hymen! O Hymenae! Hymen ades! O Hymenae!

Puellæ.

Ut roſa, quæ viridi ſtacten expirat in horto,
Quam Zephurei molcent, quam folcit dædala tellus,
Suavitudns, foliis gratos exhalat odoris;

Tol-

Digitized by Google

Tollens, auris mixta, comas, robuſtaque colla;
Si, quom concidit in tempeon ſtellantibus arvis,
Aut ſævo ungue reciditur: inlico totus in auras
Vadit odor tenuis, paucique extinguitur horis:
Sic virgo, dum virgo cluit; quoi florida caſtæ
Ætas virginitatis ab omni innoxia tæda eſt:
Clara cluit, circumque volat cœli aurea templa:
Sed ſublata virûm manibus, tremebundaq; ad aras,
Quom deducitur, ut ſolemni more ſacrorum
Perfecto poſſet claro comitari hymenæo:
Non jam lota niteſcit, & omnis gratia formæ,
Omnis honos vacuis penitus diſpergitur auris.
Hymen! O Hymenæe! Hymen ades! O Hymenæe!

Juvenes.

Ut roſa, quom veris pandunt florentia ſecla,
Languet, & in caſſum ridentem oſtentat honorem,
Per viridis campos, ſilanom propter aquai:
Si magis æſtivi radiatum inſigne diei
Acrior intendit calor, ac premit alta petens ſol:
Aut etiam foliis orbatam, floreque toto
Talipedans duro calcat ſub calce viator:
At quom miſcentem jocundas naribus auras,
Aera per tenerum lene ſpirantibus auſtris,
Egregia juvenis facie, & pubentibus annis
Veris opes varias miratus, & incluta dona,
Suſtulit, ut fueret capiti decus: occidit illa,
Occidit illa quidem: quid enim? namq; omnia tandem

Exitio dabit una dies ; ſed funere in ipſo
Opportuna ferens inluſtrat commoda vitæ :
Sic virgo viduas Veneris ſine munere noctis
Dum ſequitur, leguque viri, dictataq; juſſo
Præmetuens licito ſemper pugnabit amori :
Et thalamos exoſa pios, contra omina divum,
Rejicit æterno devinctum volnere amantem :
Sordet, & horrida facta ſuos in vertice canos
Adſpiciens vegetæ fruſtra laudata juventæ,
Præteritosq; volet fato ſibi reddier annos.
Sin eadem juvenem ſine pauſa ſuſpirantem
Intra arcana ſuæ ducet poſtſcenia vitæ,
Miti animo dignata gravis evellere curas :
Tempora cum candent : cum curvæ ſpicula ſenectæ
Sentiet, haut florem lugebit puberis avi.
Hymen ! O Hymenæe ! Hymen ades ! O Hymenæe !

Puellæ.

Tuque etiam hactenus innoptæ pulcerruma turba,
Qualis in umbroſis errabat Cynthia lucis, (phis
Plenam humero pharetram geſtans comitataq; nym-
Taygeti juga ſola, animoq; incenſa petebat :
Qui tibi nunc animi ? poſtquam conceſſa marito
Jura Tuo : juvenes dejecto lumina voltu
Prætereunt, gemitusq; cient, ſine teſte dolentes.
Nulla mora eſt : peregrina Tuis cenſebere, & hoſpes,
Ante quidem patrona, Tibi ignorata parantur
Imperia : ingratas mater parat anxia vocis :

Vade

Digitized by Google

Vade foras, mulier: dotem, inſtrumenta, libellum
Accipe ſis: tenui libertas occidit auro.
Te domus ignorat: quæ ſis, viliſſima ſerva
Neſcit, & ingenui ſimulant neſcire parentes:
Ut ſemel es deducta viro. nempe omnia ademit
Una dies infeſta Tibi tot præmia vitæ.
Hymen! O Hymenæe! Hymen ades! O Hymenæe!

Juvenes.

Femina res adprima loquax. ſt! plura puellæ
Parcite. Jam ſatis eſt: Ollis optata reluxit
Hora: Sopor dulcis feſſos amplectitur artus.
Interea veſtras, ſtultæ, revocate querelas,
Et mentis adhibete, animosq, advortite dictis:
Quæ non ambigui reſpondit Pythia Phœbi,
Nec male fatidicæ nobis dixere Sibyllæ.
Ut virgo deducta viro eſt: erepta parenti,
Et patrios egreſſa laris: in limine primo
Digna ſubit facies: ſolito magis aucta genarum
Ridit tempories: colloque auguſtior ipſo
Jam dat juſſa: ſui parent, mirantur & omnes.
Illq, adeo inter virgineos lectiſſima cœtus,
Virgineisque immiſta choris, dum fata ſinebant,
Pelle metum: cape thura manu, face ſacra Dionæ:
Pone Deæ ſalvi tabulam & monimenta pudoris,
Cincta caput murto, zona de poſte revincta:
Sic decet hoc fieri. Veniet labentibus annis,
Quom fructus thalami prodibunt tempore fauſto,

Æqua patri ſuboles. Olli mavortia bella
Non metuent, non arma. Dabunt inſignia muſa
Plurima. Nec rapidi diſcerpent irrita venti
Dicta, meo quæ ab ore volant. Certiſſima portat
Omina, de cœli proficiſcens parte ſerena
Purpureo radius longe lateque capillo,
Endúcens varios candenti in nube coloris.
Audiſtis ne? illo riſum Venus aurea colle
Suſtulit, & pleno per campos ſternuit ore
Dulcis Amor, dextram cœli converſus ad oram.

III.

Effata Parcarum,
IN NATALI,
Qui revertebatur decimo ſexto Cal. Nov.
VIRI
Summe Reverendi
Dn. Michaëlis MüLLERI,
S.S.Theol. Doct. & controverſ. Prof. Publ.
Univerſit. Tubing. Cancell.
Patroni ſui ac hoſpitis omnibus officii generibus obſervandi.

SAncte Dei antiſtes, populo cui ſacra ferenti
Aſſiſtunt vigiles ſtellata ex arce miniſtri;
Et medium denſa cingunt per inane corona:

Huc

Digitized by Google

Huc ades, ô, ſeu te ſanctarum oracula legum,
Legiferiq; tenent vates, genus æthere miſſum:
Seu fera bella cies, Lernæaque monſtra domando
Magna voce vocas Chriſti ſub ſigna rebelles;
Horridus in jaculis, & ahena luce coruſcus.
Quicquid id eſt, veſtro quod primum operantur honori
Pierides muſæ, muſarumque auctor Apollo:
Ingredere ó mecum, noſtri pars aurea ſecli,
Et dare feſta diis natalis thura memento.
Ipſe ego fata canam, quamvis obſcurior ævo
Fama ſit illa meo, noſtraſq; refugerit aures;
Sed me Calliope, neque enim eſt ignara futuri,
Edocuit, ſeclis quæ geſta prioribus, & quæ
Venturi facient poſt ſecula multa nepotes:
Illa quoq; aërias cœlo delapſa per auras
Contigit inſueto præcordia more tumentem;
Illa novo gelidas luſtrans fulgore medullas
Abſterſit nubeſq; animi, tenebraſq; reſolvit:
Quo facto patefacta mihi penitralia cœli,
Cœlicolumq; domus, ſuperumq; immania templa:
Et ſedes Parcarum, ubi quondam fama locutas
Talibus eſſe modis, quum lumina ſolis adires:
Creſce, ſub o ſudi lumen ſpirabile cœli
Edite, ſed noſtro quondam clariſſime ſeclo,
Parve puer, teneroq; ingentem ex ungue Leonem,
Quæ tibi fata dabunt, patriis exporrige terris.
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.

Jam-

Digitized by Google

Jamq; oculos animumq; una per ſingula volve,
Atq; DEO plenus jam concipe ſidera mente:
Inque TUIS ſpira minime mortalia cunis
Verba, ſed aligeri quæ optent meminiſſe miniſtri.
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
Quid vagis? circumvolat aurea tempora paſſis
Crinibus, & trepida pulſat tabularia planta
Purgatas vitiis terras Charis alma reviſens:
Tolle ſolo puerile caput, teq; aſſere cœlo.
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
Namq; pedes teneros natali inſiſtere terra
Quando voles cunas exoſus & aſpera vincla:
Jam tum ſacra, puer, legesq; atq; abdita olympi
Jura, Deumque manu fortitractare juvabit.
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
Tum quóq; jam nugis ignarus anilibus alto
Declinare caput, tantillaq; membra ſopori:
Jam monitus animo divinaq; ſcripta ſagaci
Inquires, avidus rerum cognoſcere ſummas,
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
At, ſimul in pubes paulatim adoleveris annos,
Et ſumes animum majora minantis ephebi:
Te juvenem eloquio, numerisq; ſonacibus unum
Erudiet, tangetq; aſpergine Phœbus Hymetti.
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
Teſtis erit (a) Blabyre, collecta in turbine leni;
Quæ

(a) Monaſterium Ducatus Würtemberg. ubi prima ſtudiorum fundamenta jeceras.

Digitized by Google

Qua primum ducit Pindi de vertice rivum
Fons pede factus equi: quam dulci carmine captam
Sæpe tua facies miranda reviſere muſa.
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
Deniq; cærulei circum vaga littora Nicri
Proxima ſideribus teſtabitur ora (b) *Tubinga:*
Unde pedem fauſtum multa cum laude reflectes,
Inſignis titulis, & pondere laudis onuſtus.
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
Inde ubi frondoſo Golchorum à vertice montis
Culmineq; Idalio curis Amathuſia ſacris
Gaudia miſcuerit, non ulli obnoxia labi:
Sed connubia læta, ſed optatos hymenæos:
(Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi:)
Prima Tui medios inter (c) *Stutgardia montes*
Oris opes mirata ſuo conſurget alumno;
Quoq; tenebis iter, prona cum mente ſequetur
Elatumq; animis, & ſidera ſumma petentem.
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
Poſtea fatali venient tibi tempore luces,
Aſpiciesq; iterum magna te voce vocantem
Pandentemq; ſinus, admirantemq; loquentis
Egregiumq; decus, mellitaq; verba (d) *Tubingam.*

Vol-

(b) Hinc ſtudiorum & Philoſophicorum & Theologicorum inſignia retulit, & magiſterij honoribus, & repetitionis, quam vocant, auctus. (c) Factus enim continuata ſucceſſione Eccl. Cathedr. Stutg. ſuperior συμμύστης. (d) Vocatus ad Prof. Theol. ordinar. & Ecclef. Tubingenſ. Paſtoratum tanquam Superintendens ſpecialis.

Digitized by Google

Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
Quid loquor? en pridem meritos Academia faſces,
(e) *Arbitriumq; Patres legum deferre videntur,*
Et Princeps non nolle. Sed hoc nondum ire ſub auras
Fatorum conceſſit incluctabilis ordo.
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
Hic ad te juvenes animisq; opibusq; parati,
Innumeri numero, virtutis amore coibunt:
Inq; Dei arcanis, ſtudiisq; virilibus ævum,
Te duce, Te moderante, pedum veſtigia ponent.
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
(f) *O te nocturnos quoties ad luminis igneis*
Multa laborantem ſera dare membra quieti
Cernet, & algenti mirabitur axe Bootes
Non minus ad muſas ſummo cum mane reverti?
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
Quumq; Erebi proles rurſum, noctisq; ſoporæ,
Rege ſub Encelado, Ditis ſpiracula rumpet:
Ipſe manu valida, ſpirans immane, ſecurim
Arripies, ſternesq; Tuo ſcelera impia telo.
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
Te metuent ſtygiæ, ſæviſſima turba, cohortes,
Cocytiq; amnes, atq; illatabilis ora

(e) Concellariatum Academiæ Tubing. intelligo; quæ dignitas ipſi poſt duos deinde menſes collata eſt. (f) Teſtes editi ab ipſo libri. Explicatio Aphoriſmorum Theol. Nicolai D. Teſſaradecas. Evolut. ſacrarum Diſpp. de invocatione ſanctorum aliæque plurimæ.

Ac-

Digitized by Google

Accipiet victum victa cum gente tyrannum,
Iras tollentem, atq; incendia vana moventem.
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
Illuvies hominum, leges abolere Deorum
Docta, fuga celeri pavida veſtigia cervæ
Flammea prævortet, faciemq; furentis & ora
Horreſcens, campo minime ſe credet aperto.
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
Lucida Tu nitidi pandes penitralia cœli,
Siquis erit ſcelerum contemptor, & orſa reflectat
In melius: turpi ſin pectore ſervat amorem
Fraudis, ab æthereis longe miſer abſtitit oris.
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
Quumq; dabis patriis annos & tempora terris
Debita: ſtelligero venies grave pontus Atlanti,
Sed meritum factis, pulcerrima Fama Dearum,
Aera per vacuum, plaudentibus efferet alis.
Volvite fatiferi ſubtemina, volvite rhombi.
Hæc ubi contigerint, vates ubi venerit, illa
Qui canat, infauſtis Rheni devectus ab undis:
In tacito tecum, moneo, ſic pectore dices:
Vera mihi vates, & Parcæ vera canebant.
Volvite fatiferi ſubtemina, parcite rhombi.

Digitized by Google

IV.

Proteus,
ad
VIRUM
SUMME REVERENDUM, ATQUE EXCELLENTISSIMUM,
Dn. Michaëlem Müllerum,
SS. Th. Doct. & Controverſiarum Prof. P. celeberrimum,
Academiæ Tubingenſis
CANCELLARIUM MISSUS.

Nunc demum tumidas vaſta trabe ſcindimus undas,
Ingredimurque viam velis majoribus uſi,
Nymphæ Neccarides: patrii per flumina Nicri
Pinguia, quæ plantis pernicibus arva ſecatis,
Et leni herboſos vix ſtringitis agmine colles.
TUq; adeò, Pietas quem magni inſcribit olympi
Sideribus, cælo invectam pernicibus alis:
Huc ades, o ſeu Te magnæ faſtigia ſedis
Summa vocant, animumq; per ardua dividis aërem:
Seu frueris cælo, ſuperumq; potentibus auris,
Cælicolumq; patent ultro cæleſtia templa;
Huc ades, o MÜLLERE, novo quem gloria curru
Suſtulit, & muſarum excelſæ in ſede locavit:
Atq; invade viam: duce Te juvat ire per umbras,
Abdi-

Abditaq; à vulgo, denſiſq; ſepulta tenebris
In ſolem trahere, atq; animo luſtrare ſagaci,
Quæ quondam vitreis Rheni devectus ab undis,
Dum venit, & læva Nicrum de parte tuetur,
Cœruleus dixit divino numine Proteus.
Namque canebat, uti lapſis certo ordine luſtris
Invidia divum, fatiſq; prementibus ingens
Undaret globus in terras, proh! numina, noſtras
Armatorum hominum: ut violenta impelleret arma,
Utq; acreis urgeret equos in prœlia, & omnia
Cædibus, & ſævis involveret arva ruinis,
Arvaq;, turrigeraſq; urbes, gentemq; togatam.
Nec ſatis his; toto ſæviret in æquore paſſim,
Et ferro, & latis miſcens incendia campis:
Ut magna impenſa, multoq; extructa paratu
Templa, Deum ſedes, ultricibus ureret atrox,
Horribilis, metuendus in ignibus: utq; furentem
In diſcrimen, & in medij ſæviſſima belli
Sanguineum quatiat magno cum turbine Martem.
Hinc canit, ut placido Concordia ſpectet olympo,
Cognataſq; acies animis incurrere ſævis
Ulterius vetet; ut diverſi à partibus orbis
Concilium in magnum, delectaq; prima virorum
Magna voce vocans deponere cædis amorem,
Palladiamq; manu prætendere cogat olivam.
Jamq; in amicitiam gentes, quas cernit ab Oeta
Sol Oriens, fuſco vel qua cit equos Erebo Nox,

Aſpi-

Aſpicias ſine more venire, animisq; manuq;
Pacem orare omnes: pacato à litore blandi
Exoriebantur, veluti poſt nubila, Soles.
Inde mari à magno, gelidiq; à frigore Rheni
Kulpiſium patrias properantem ſiſtit ad oras,
Pacifera vinctum quercu, ramoq; Minervæ.
Addit item, duros animiq; viaq; labores
Pro dulci ut patria, pro libertate ſuorum
Suſtulerit, reges dum contra affatur, & æqui
Jura tuens, nihili vitalia penſa moratur;
Illum populifer Nicer, illum Rhenus & Iſter,
Iſtriadesq; diu nymphæ flevere ſub undis,
Et luctu rigidæ movere cacumina ſilvæ.
Quid referam, ut triſti merſum ſub funere lethi,
Ter quater ingeminans, repetiverit? altaq; ſilvarum
Clamatum toties Oſiandrum exaudivere?
Ah dolor! hic vidi cum pelle reſumere vires
Ingentem colubrum, campi mala gramina paſtum;
Et novus, exuviis ignoto in monte relictis,
Exoritur Pharius, ſi famæ credimus, ales:
Tu cinis, inquit, eris? nec ab illo exſtabit Achille
Præterea quidquam, niſi quod male compleatur nam!
Ferte mihi nardum, calathiſcis lilia paſſim
Spargite, qua tumulum Nicri alluit unda recentem:
Spargite; ſed plenas effundam ego thuris acerras,
Magne vir, antiqui decus & pars aurea ſecli:

Hi

His ego TE: merita cumulabunt laude, ferentq;
Illuſtrem grati poſt ſecula multa nepotes:
Si non victa ſitu, veriq; effœta ſenectus
Ludit inanem animum, vanaq; in imagine fallit.
Te quoq;, quo ſalvo tantum ſibi noſtra timebat
Patria, balantes quantum ſub matribus hadi;
Excluſus foribus tenues ubi dentibus auras
Dilaniat fruſtra lùpus, & cuſtodia pernox
Rejicit ardentem, metuendaq; fata parantem:
Quo contra extincto, cœlum teſtata Jovemq;
Crudeles divos, crudeliaq; aſtra vocabat:
TE quoq; compellabat, & innumeros ſingultus
Imo è corde ciens: Quis TE mihi caſus ademit,
CAROLE, ait, vultusq; Tuos, animumq; virilem?
Heu pietas! heu priſca fides! ſpectataq; bello
Dextera! FRIDERICE, mane: patriamne labantem,
Prœlia ſæva minante Noto, Palinure, relinques?
TE patrii Cives, Germaniaq; ipſa morantem
Invocat, & ſcopulo lentum compellat ab alto:
Surge pater, pheretroq; oculos attolle jacentes,
Sidereumq; caput, frontemq; operumq; miniſtras
Tolle manus tantorum, &, ſi tibi cura Tuorum
Ulla ſuper, gelidi veſtigia deſere lethi:
Si qua fata ſinant. Nimium o nimiumne fuiſſet
Viſa potens, ſuperi, ſalvum hunc ſi patria noſſet?
Occidis egregium patria decus, ille Senatus

Vin-

Vindex, ille fori, legum belliq; togaq;
Et fugis ante diem ſecli jubar: iſtaq; virtus,
Iſte animus fortis tacitam conceſſit in urnam.
Unus qui poterat miſeris accurrere rebus,
Degeneresq; hominum renovare in priſtina mores
Cœleſtum ducens afflicto in corpore vitam:
Hic adiit manes, indignatusque videri
Mortalis, ſubita ſpes noſtras morte fefellit.
Scilicet omnipotens nondum mortalia curat
Propitiusq; bonusq; ; ſed irarum æſtuat undis
Sævus adhuc; furias nondum ſatis ultus amaras.
Spes mihi pacis erat, non qualis ſæpe fuiſſet,
Candida quæ vultu, quæ libera marte profeſſo,
Quæ domito procul hoſte; tamen diſcordibus armis
Pulſa foras patriam, nataliaq; arva reliquit:
Sed bona fata ferens, jucunda ſed omnia portans.
Qualis ovat, ſævis qui tempeſtatibus actus
Per maria, arcturi dubio ſub ſidere iniqui,
In ſævo Scylacæo, aut navifrago Ægæo:
Si videt optatos ventorum munere portus,
Pontivagamq; ratem pacatæ advertit arenæ:
Talis erat, ſi quem tantæ virtutis imago
Perciit, & mira ſubiens dulcedine ſenſus
Horror, amore ſui, thyrſo percuſſit honeſto,
Omniaq; admirantem, & fortia facta canentem.
Jamq; omnes hilaros tacitò ſub pectore motus
Haurire, antiquos meditati inducere mores;

Et

Digitized by Google

Et mage mutatis hoc Sole niteſcere rebus
Omnia, lætarique; ſed heu! ſpes paſcere inanes;
Votaque terribiles rapere in vacuum aëra venti.
Namque repente furens inſibilat Eurus, & undæ
Incipiunt jam jamq; tumeſcere: ruptus aqua mons
Ingruit in latus: atque oculos avertit amicos
Fors infida repente: ruit poſt anxia vota,
Egregiusq; heros moriens ſecum omnia vertit.
Ac veluti variis quum picta coloribus arva
Suave nitent: teneri ſurguntq; ad ſidera rami,
Hirſutumq; caput tollunt ſata læta, comasq;;
Jam tacitis ſpes agricolis accenditur ingens,
Et meſſem miſeri ſecum mirantur inanem.
Ignari divorum, & non tractabile cœlum
Omnia permiſcere: venit ſubito horrida grando,
Et ruit immenſum præceps cœlo agmen aquai,
Unaq; ſpes anni rapit hora, boumq; labores.
Parce tamen nimiis ploratibus indulgere
O PIA PROGENIES; *& tanto digna marito*
JULIA, *ab antiquo, quæ magna eſt gloria, Brenno,*
Siſte Tuos *gemitus: lacrimis & perpete luctu,*
Si quid id eſt, cineres, herois & oſſa Parentis
Deflebunt alii: faciet Germania tellus
Inprimis, ſerosque volet meminiſſe nepotes.
Ut patriam, & cives magno turbante tumultu
Servarit; ſævasq; induxerit ipſe cohortes:
In bello ut vitæ diſcrimina mille ſubierit:

 Sponte

Digitized by Google

Sponte ſua ut letho, captivaq; colla catenis
Obtulerit, fidensq; animi atque in utrumq; paratus,
Seu prohibere hoſtes, ſeu certæ occumbere morti,
Si placitum cælo. Jam nunc adſueſcite duris,
O PUERI, & ſævi contemnite ſpicula fati:
Aſpera ferre decet. Sic cœlum aſcendit ab Oeta
Amphitryoniades, vincendoq; fata Deesq;
Æolides patiens, bellorumq; auctor Achilles,
Magna laude feruntur: amat victoria fortes.
Omnia mutantur: forſan ſors impia, forſan
Miteſcet, venietq; dies lætiſſima tandem,
Poſt fati fera fulmina, poſt immitia juſſa,
Cum venient blandæ, Zephyriq; faventibus auræ,
Omniaque in melius referet placata Deum mens.
Ille abiit ſuperos, heroaq; dignaq; cultu
Inter magnanimos cœli ſedet umbra Quirites,
Aureaq;, & ſolio longe ſublimis in aureo:
Unde humilis mundi labentes deſpicit orbes,
Lunamq; ſtellasq;, videntemque omnia Solem;
Longe illi curæ inſomnes, comitumq; laborum
Inviſæ facies, quæ multa & magna moventem
Huc illuc celerem rapiant, & in omnia verſent.
Nempe odii fraudumq; expers, exemptus inani
Ambitione, vacansq; metu, ſpe liber, & inſons
Ipſe ſibi vivit, ſuus ipſe eſt cenſor, & alto
Deſpicit errantes, humanaq; gaudia ridet.
Qualis fortis equus, ſpatio qui ſæpe ſupremo

Vicit

Digitized by Google

Vicit olympia, Piſanoq; in gramine currus:
Nunc viridi in campo, patulave ſub ilicis umbra
Confectus ſenio, magnaq; ætate quieſcit.
Tum cœlum, Phœbique ruentis ab æthere currus
Aſpiciens, lævaque argentea cornua Lunæ:
TU vero ſeu TE ſtellantis regia cœli
Continet, & vaſtis arcte complectitur ulnis
Ardua cœli equitans Sol, rerumque ignea lampas:
Seu ſupra æthereos fines, ſupra ardua mundi
Mœnia, pura anima, & nullius conſcia labis,
Aligeros cœtus, ſuperumq; volatile vulgus
Lætus, ovansq; animis indeprenſusque petiſti,
Seu quicunque locus; felix bis terque beatus
Ille locus certe: lacrimas ne ſperne Tuorum,
Dive pater, noſtri quæ ſunt monimenta doloris,
Dum TIBI ſic merito dignum inſtauramus honorem
Affati extremum, ferimusq; noviſſima dona.
Hæc Proteus: & ſe liquidas injecit in undas
Cum gemitu, & lacrimis Alpes reſpexit obortis.

V.

Eberhardus Ludovicus Redux,

i. e.

SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMINO

DOMINO

EBERHARDO LUDOVICO,

DUCI WURTEMBERGIÆ

ET TECCIÆ &c. &c.

De

Luſtrata feliciter Hollandia, Britanniaq;, & Galliis,

Ac

Pluribus aliis Regionibus,

Et reditu

In Patriam, ad univerſam Sereniſſimam cognationem, auſpicatiſſimo,

Poſtridie, quo deſideratiſſime fuerat urbem ſedis ſuæ ingreſſus,

Videlicet 5. Septembris,

Gratulabatur, & humillime ſalutare volebat

Jo. Caspar Malschius, S.Th.Stud. & ejuſd. Serenitatis Stipendiarius.

Nigre Pater, niveos quocunq; in gurgite vultus
Condis, & obſcura faciem caligine tectus
Reffugis in tenebras, nulliq; affabilis unquam,
Ad Rheni vitreas leni pede laberis undas:

Surge,

Digitized by Google

Surge, precor, ſolio, nymphiſq; ſequentibus una
Arripe in occurſum totum cum fluctibus amnem,
Et quicunq; tenent circum loca. venit ab oris
Optimus extremis, patriæq; remittitur urbi
Noſtrum dulce caput, ſecli redivivus ULYSSES,
Orbe peragrato. Facilem tot vota bonorum
Principe pro ſalvo cæli movere parentem
Et fati repulere minas. amplectimur ultro
Incolumes dominum longo poſt tempore viſum,
Et reduci gratamur iter. juvat uſq; morari
Egregios oculos, nec noſtro cernere vultum
Sole coloratum. Talem portavit ab Indis
Acriſioniades, tunc, cum per inania cæli,
Alite vectus equo, Phorcynidos ora recepit
Anguineis innexa comis. hic ſiſtite currus,
Inſignes animæ: quid tum; ſi protinus omnes
Quas videt Oceanus, terrarum abeatis in oras?
Hic domus, hæc patria eſt. tanti, mihi credite, non eſt
Tarbelloſq; videre, & quos quis dicere poſſit?
Bellovacos, Morinoſq;, & promptum ad bella Britannum,
Invictosque animis, Neptunia pectora, Belgas,
Vel genus acre virûm, quos raptis orbis habenis,
Gallorum in ſedem mater Germania miſit
Francorum de ſtirpe ſatos. credamne ſubiſſe
Nomen, ELISA, Tuum, *quum litore ſolvere navem*
Nuper, & Oceano Tuus *hic dare vela pararet?*

Vix memor ipſe mei conturbor imagine rerum,
Et pallor faciem, totoſq; perambulat artus,
Major ab admonitu. Videor diſcedere terra,
Attonituſq; animi cœlo committor, & undis,
Imperioq; Noti. Nihil eſt, niſi pontus & æther,
Quocunq; aſpicio, miſerumq; ſilentia terrent
Ipſa, nec in tenebris, rapta per cærula puppi,
Conſtat iter nautæ. jam jam mihi dira minatur
Monſtriferum pelagus, balenarumque furores,
Tritonumq; globi, Phorciq; exercitus omnis;
Et quota pars hæc eſt? O terq; quaterq; beatum,
Quem patriæ tenet ora ſuæ, non longa ſequentem
Oppida, vel poſitas alio ſub ſidere terras!
Hic adeo, triſtem cingentibus æthera nimbis,
Quum fœtam pluviis invertit aquarius urnam,
Haud metuet, prædæ lacera ne nave feratur
Squamigerum generi, fruſtraq; monebitur aſper,
Et maris impatiens, crebris infame procellis
Ut mare Myrtoum, turbantibus æquora ventis,
Aut rate Dardanii fauces rimetur Abydi,
Ipſe regens clavum. non ſævos frigore Coros
Increpat, aut arcum variata luce rubentem,
Inq; manu fatum eſt. Sed tendit ad ardua palmas
Sidera mercator, mediis deprenſus in undis:
Quum male jactata defendunt tranſtra carinæ
Pernicioſam hiemem, denſiſq; nigerrimus alto
Ingruit auſter aquis, & fundo apparuit æquor,
Altaq;

Digitized by Google

Altaq; Nympharum ſedes. qua numina ſupplex
Non adit? & cacis undarum in fluctibus amens
Poſcit opem votis? rigidi ſed murmura ponti
Involvunt placidum piceo velamine cœlum.
Tuque *etiam, nimium nimiumq; oblite* Tuorum
Auſus es, heu! ventis vitam, fragiliq; phaſelo
Credere, nec cara ſubiere edicta Crëuſæ,
Nec dubii mala forma maris? Tecumque *vehebas*
Per vada Neptuni, patriamque & fata Tuorum
Arcte innexa Tibi? *totq; incurrentibus undis,*
Heu procul à patria, nudoque ſub atheris axe,
Exitiumq; minante ſalo; fore, nave relicta,
Inque lares reditum, nataliaq; arva putabas?
O felix voti! reducem commota ſalutat
Aula Ducem, *meritosq; aris indicit honores,*
Et tandem propius fidam contingere dextram
Obvia turba ruit. Noſtras Tibi *tendimus ipſi,*
Quod felix fauſtumque, manus, interq; potentum
Agmina, ſacratis affigimus oſcula plantis.
SALVE, noſter amor, confeſſaq; cura Deorum,
Et patrios incede lares, qui Principe ſalvo
Feſtivas mediis choreas duxere tenebris,
Et pavidum poſuere metum. Tibi ſurgit ab aureis
Purpureos crines ornata cubilibus Eos
Blandius, & verbis venientem affatur amicis:
VIVE, Pater Patria, Colchisq; remiſſus Jaſon,
Et Tibi fige modum; vultu pendemus ab illo,

Digitized by Google

Quem maris exponis furiis, quem ferre calores
Cogis, & hiberni frigus penetrabile cæli,
Pleïadumque minas. quid aperta pericula fidens
Suſcipis, o Princeps? Gallus quod quæris in oris,
Et Batavum cælo, vel qua viſenda remoti,
Gens ignota lupis, dicuntur habere Britanni:
Patria ſola dabit. longas deſiſte, monemus,
Ulterius tentare vias, nec ſubtrahe cælo
Aurea natali pacata ſidera frontis,
O multis terræ, pelagique erepte periclis.

V.

SECULI DECIMI OCTAVI AUSPICIUM

Ad

CUNAS

SERENISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI,

DOMINI

CAROLI MAGNI,

March. Bad. & Hachb. Landgr. in Sauſenb. Comitis in Sponh. & Eberſt. Dynaſt. in Röteln, Badenvv. Lahr & Mahlberg, &c. &c.

D. 21. *Januarii Anni* 1701. *auſpicatiſſime nati,* inter Fauſtiſſimas omnium ordinum acclamationes-

Felix

Digitized by Google

Felix ac fortunatum
eſſe vult,
Itemq;
SERENISSIMIS PRINCIPIBUS ac DOMINIS,
DOMINO
CAROLO WILHELMO,
March. Bad. & Hachb. &c. &c.

Nec non

DOMINÆ
MAGDAL. WILHELMINÆ,
Marchioniſſæ Bad. & Hachb. &c. &c.
Natæ Duciſſæ Wirt. & Tecc. &c. &c.
PARENTIBUS,
De
FILIO;
Ac pariter
DNO. FRIDERICO MAGNO,
March. Bad. & Hachberg. &c. &c.
AVO,
&
DOMINÆ AUGUSTÆ MARIÆ,
Marchioniſſ. Bad. & Hachb. &c. &c.
Nata Duciſſa Holſat. Sleſvici, &c. &c.
AVIÆ,

Digitized by Google

De
NEPOTE
gratulatur, & iſtam Sereniſſimæ Domus propagationem perennare
jubet
Illuſtre Gymnaſium Durlacenſe, Interprete votorum
Jo. Caspere Malschio, Prof. P.

Illuſtres animæ! cœlo contermina virtus
Quos fama donavit, & in vaga ſecula miſit
Scriptorum laudata manus: quos Marchia noſtra
Indigetes factos buſtis veneratur in ipſis:
Huc animum, huc oculos, huc mitem advertite vultū,
Si qua pii curant, ſi non ſecum omnia letho
Abſtulit atra dies. Cœli plaudentibus aſtris
Vota ſuos adiere Deos, partúque levata eſt
MAGDALIS! ingenti, patriæ pia cura, paratu
Surgit jo! noſtriq; ſubit PUER aëris auras,
Ora gerens ſtellata, ſuóque ſimillima cœlo.
Nunc equidem vultu; belli ſed laude togaque
Vos referet; quum par factis ingentibus ætas
Induerit juvenem famæ ad præcepta capacem,
Et ſe nôſſe velit. CAROLI *gaudete ſepulti,*
Et FRIDERICI *omnes, tabulisq; inſcripta piorum*
Nomina! ſi quid id eſt, fulvo ſpectamus in auro
Et genus, & titulos veſtrique imitamina vultus:
Sed nihil eſt ſolidi; nihil eſt in imagine vitæ:
Aes rude, pondus iners; & quod delere repente

Poſſit

Digitized by Google

Poſſit edax ignis, vel inexorabile tempus.
Hic PUER, *hic veſtra potior virtutis imago eſt;*
Hic nobis vivetis; in iſto pectore ſeſe
Majorum facies tumulis rediviva movebit,
Abſiſtetq; faces, fruſtraque timebitis umbras.
Sic clipeum, ſic arma geret; ſic agmina ducet;
Sic ferus in medias acies, mediasque feretur
Sanguineus clades; forſan pavida agmina Trojæ
Alter aget ferro, murisque impinget Achilles.
Tuque adeo, fractis Germana per oppida bellis,
MAGNE, *para tanto ſedem ſpaciumque nepoti,*
Et metire domos, incenſaq; mœnia multa
Inſtaura recidiva manu; memoranda pararunt
Huic etenim Parcæ, famamq; aditura priorum.
Aſpice jam quanta ſe tollat mole? jacentis
Qui vigor in vultu? quàm non puerile genarum
Eſt decus? ut radiant, veluti duo ſidera, longè
Ardentes oculi? quanquam cognoſcere matrem
Inde queas; ſic neſcio quid ſubſuave tuentur:
Plus tamen & patriæ ſpirant virtutis, & acres
Promittunt animos, ac dignas ſanguine vires,
Ingenioque ſuorum. Ita ſe fortaſſe probabat
Alcides, vultuq; minax, cilioq; timendo:
Nondum erat ille Deus; nondum, quem barbara monſtra,
Quem rictu metuendus Aper, quem, Neſſe, timeres:
Quum pueri manus, excindi quæ ſæva per orbem

Monſtra parabantur, violentæ fraude novercæ,
Reppulit immiſſos eliſis faucibus angues,
Tollenteſq; animos, inflataque colla veneno.
Illum ſæpe vagi bellantem in finibus Iſtri
Sithoniæque nurus longè, matreſq; videbunt.
Horreſcentq; animus hoſtem, pariterq; timentes
ASCANIO dulci, tacito ſubedentur amore,
Præſtanti captæ forma ac juvenilibus annis.
Nam velut in ſummo quercum Notus Apennino
Aut ornum piceamve aut coniferam cypariſſum
Eruit: illa procul radicibus exturbata,
Prona cadit, lateque ſua dat ſtrage ruinam:
Sic ille ingenti præcordia percitus ira
Conciet horribilem nullo diſcrimine pugnam,
Ultus cæde nefas, & quæ furialis Enyo
Plurima damna dedit. Sed enim temeraria ſæpe
Res amor eſt laudum: quoties pugnantis imago
Me ſubit, heu! morior: denſas nihil ille Phalanges,
Aut tot ubique neces, dirave morabitur Enſis
Millia, quot magnis nunquam venere Mycenis.
Jamque virum magno flagrantem cædis amore
Præcipitare moras, & agentem in fata fugaces,
Inviſaſq; animas clamantem audire videmur:
Quo fugis, ô ſcelerum fraudiſq; repertor Ulyſſe,
Quosve paras ſine fine dolos? quid vana moventur
Prælia? quo tentas contra magis ire furentem:
Æſtuat in venis, tantoq; ferocius urget,

Digitized by Google

Qua data porta ſemel, compeſci neſcia virtus.
Haud aliter vidi, dum ſulphur aduritur atrum,
Incluſos terra magis ac magis acrius ignes
Sollicitare viam, ſubitisque tremoribus intus
Aggeribus murorum, & cœlo impune minari.
Nec mora: fit fragor: incuſſo ruere æthere cœlum,
Sidereasque domos, totumque Acheronta putares.
Procumbunt turres, æquataq; machina cœlo
Corruit, & gladios, galeasq;, ocreasq;, virosq;
Una eademq; via tolli per inane videres.
Non minor invadet, non ſegnior æquore toto
Ibit in adverſos, quo denſa pericula dextram
Audentesq; trahent animos, quid deinde moraris?
O PUER! I, quo Te repetentem exempla Tuorum
Dura rudimenta, & paribus quoq; gloria factis
Extendenda vocabit. Ubi reparâris olivam,
Pacatis odiis, poſitis feliciter armis:
Plena quies aderit, quæ ſtricti neſcia ferri
Pacis opus doceat, faciatque, ſilentibus armis,
Inter ſacra Tubas, non inter bella ſonare.
Tum quoq;, noſter amor, teneræ Tibi gratia Muſæ
Serviet, & montes habitataq; vatibus antra
Et vatum chorus omnis. Adeſte, ubiquique, Poëtæ,
Et per odoratum lauri nemus, & loca plena
Numine, per rupes, & docta culmina Cyrrhæ
Ducite; quandoquidem non aſpernabitur ille
Inter victrices hederam ſibi ſerpere lauros,

 Agmi-

Agminaq; Aonidum. Magni mirabile mundi
Qui velit, edat opus; quâ vi maria alta tumeſcant,
Objicibus ruptis, ad plena cornua Lunæ:
Si quid & in tanta magis eſt ſpectabile mole:
Quicquid id eſt, juvat ante Tuas procumbere cunas,
Parve PUER, *magni ſuboles auguſta Parentis,*
Natalesq; Tuos, quà Sol oriturq; caditq;,
Prodere venturo, Zephyris famulantibus, ævo,
Et populos excire. Licet deſæviat æther,
Et duris glacialis hiems Aquilonibus undas
Aſperet, & mento canisq; hirſuta capillis:
NASCERE, PARVE PUER, *quem publica vota, precésq;,*
Quem populi meruere Tui; quem poſtera magnum,
Poſtera Diis ſimilem verè mirabitur ætas,
In medio Heroum. Calathis en! munera Nymphæ
Multa ferunt hilari ſacra ad cunabula dextra,
Pomaq;, caſtaneasq; nuces. Tibi candida Nais
Collectas violas alio de Sole, crocumq;,
Et florem Narciſſi, & amantem æterna amaranthum
Frondentesque gerit lauros, hederasq; ſequaces,
Omnia mixta ſimul. Natali operamur honori,
Quantum quisq; poteſt: Genitor tibi plaudit Avusq;,
Vota ferunt cives, cunis dant carmina Muſæ,
Carmina dant Muſæ, magnaq; ita voce ſalutant:
SALVE, *cura Deûm, noſtriq; ſuperbia Pindi,*
Diis genite, & geniture Deos: ô digna Parente,

Digna

Digitized by Google

Digna DOMO proles, quicum melioris origo
Sortis agit fauſto rurſus cum murmure ſeclum,
Orditurq́ꝫ viam. Tecum nova temporis ætas
Ire polo dignetur, & omni incumbere genti,
Et fati difflare minas! comitentur euntem,
Grata Deo Pietas, Chariteſq́ꝫ in mutua nexa,
Et Favor, & placido ridens Concordia vultu,
Lætitiaque chori, Fideique optabile nomen,
Et jucunda quies, ignaraque fallere vita,
Sanaque Mens, tandem indignis reſoluta catenis,
Jamque ſui compos, disjectis libera vinclis.
At parte ex alia fœcundaq́ꝫ pectora fraudum,
Et Lites Laceræ, & fœdis Mendacia larvis,
Inſidiaque Doliq́ꝫ, ſuis tumulentur in umbris,
Mortaleſq́ꝫ levent! Veterumq́ꝫ inſignia nobis
Aptemus ſtudia, ac mores, & vindice nullo,
Sponte ſua, ſine lege, Fides rectumq́ꝫ colatur!
Qualis erat, (ſi priſca fidem monimenta merentur)
Aurea primorum atqꝫ utinam ſperabilis! ætas.
Tempore non illo, peregrinum ut viſeret orbem
Nauta, procelloſis inſultavere carinæ
Fluctibus, aut tumidum gemuit ſub claſſibus æquor.
Tum neqꝫ turriti tenuerunt oppida muri,
Nec Tuba, nec litui, metuendave cornua belli,
Sollicitabantur, nec Martem accendere cantu
Mos erat: indigenæ paſſim ſine militis uſu
Mollia terrarum vivebant otia cives.

Quod,

Quod, precor, eveniat! Tecumq; adeò hoc decus avi
Ingrediatur iter, jam jamq; exordia ſumat,
O PUER, ô patria per Te redeuntis imago!
Atque aliquis, numerans generoſi conſcia partus
Tempora, noſtrorum dicat de gente nepotum:
Hanc pia poſteritas, quæ nunc venit annua nobis,
Devenerare diem, nec Thuri parce Deóve:
Hæc fuit illa dies, qua primum facta ſepultæ
Spes melior patriæ: quæ TE, GUILIELME, parentem
Reddidit, & Nixos, placataq; numina ſenſit
Nympha, decus patriæ, potiturq; PUERPERA voto.

VII.

AMARYLLIS:

i. e.

DESIDERIUM STUTGARdiæ & amicorum per Ducatum Würtembergicum.

AH pereat, quicunq; poteſt male gratus haberi!
Audet & officii dememiniſſe ſui.
Si videor noſtro nimis eſſe in amore fidelis,
Non moror: ingenii culpa ſit iſta mei!
O utinam mihi ſola ſit iſtac cauſſa pudori!
Gloria contingat manibus illa meis!

Neque

Digitized by Google

Viro plurimum Reverendo atque Nobiliſſimo,

DN. M. JO. WENDELINO BüLFFINGERO,

Eccleſiæ Canſtad. Paſtori, & vicinarum Superintendenti Speciali,

JO. CASPAR MALSCHIUS, Prof.

DEberi meritis in me Tuis hoſtimentum aliquod & agnoſco probe, & palam præ me fero. Sed expungere nomen hactenus mihi fuit tam facile, quam illi comico ſeni volare ſine pennis, aut in aëre piſcari. Quod quidem mihi non uſquequaque fuit moleſtum. Nam in tabulis tuis jacere quam diutiſſime, id ego mihi in lucris puto. Quare, ſi videtur, diſſolvere porro differemus, quæ tibi deberi non ignoras; ut ſine ullo impendio grandis illa, tibi non ignota, rerum mearum lacuna, poſſit aliquantum uſuris illis expleri. Habe interim tanquam Syngrapham poëmatium hoc meum, quo deſiderium Tui ſimilium ſum teſtatus. Hoc quotieſcunque legeris; facies autem mea cauſſa ſæpius: ea tibi ſimul veniant in mentem, quæ ante biennium ſcribere memini:

AH! pereat, quicunq; poteſt male gratus haberi!
Audet & officii dememiniſſe ſui!
Si videor noſtro nimis eſſe in amore fidelis;
Non moror: ingenii culpa ſit iſta mei!

O uti- [illegible]

O utinam mihi ſola ſit iſtæc cauſa pudori!
Gloria contingat manibus illa meis!

Neque enim iſta ſoli cuidam receperam, ſed omnibus iis ſum de me paria pollicitus, quorum ulla in me beneficia extitere. Memoriam certe meritorum tuorum retinebo vivus; ſi forte monimenta, quæ vobis ſtatuam in ſcriptis meis, in cineres ſuos, me ſuperſtite, dilabantur. Vale. Durlaci prid. Kal. Mart. An. MDCCI.

Forte ſuper ripam Pfinzi patria arva ſecantis,
Thyrſis agebat oves, quas magno in munere amico
Ipſe ſenex paulo donaverat ante Palæmon,
Hic, ubi paſcentem non longius ire videbat
Inde gregem; ſummo gemitum de pectore ducens
Conſtitit, &, Qui me manet exitus, inquit, amantem,
O formoſa Amarylli? Tuo quater ipſa recreſcens
Me procul aſpectu lacrimis ſine fine madentem
Iſdem oculis vidit, quibus aſpicit omnia, Phœbe.
Aſsiduis non tam pluvioſo Rhenus ab auſtro
Intumuit, voluitq; ferox, meruitq; videri;
Quam lacrimis noſtris. Illæ noctesq; diesq;
Divite de vena, nullo prohibente, redundant.
Horrida res amor eſt: non me potuere dolentem
Carmina, non ipſi miſerum relevare ſodales;
Sæpe mihi Corydon, Animi male perdite; Thyrſi,
Hem quid agis? quo te tandem dolor auferet? **in-** *quit:*

Æquo-

Digitized by Google

Æquora litoribus cohiberi, flumina ripis
Novimus, immenſoq; objecta repagula ponto:
Tu ſine fine fleas? nec ſæva Amaryllidos igneis
Tempus edax rerum, nec dulcia verba refellant?
Hæc iterant alii: Sed & hæc & plura per auras
Vana trahunt rapidi ſecum ſolamina venti.
Tu mihi mane venis; vix quum vigil ore morantem
Evocat auroram, pennisq; everberat ales:
Illa ſubit, lucemq; ſimul, noſtrosq; reducit
Officioſa nimis prima cum luce dolores;
Et pariter Phœbi, pariter meus exſilit ardor.
Inde ubi paulatim cœli per inania labens
Ad Tarteſsiaci feſtinat literis oras;
Seraq; ſuave rubens accendis lumina Veſper:
Me miſerum! triſti tenebroſa per atria luctu
Ire juvat, ſævisq; incendere queſtibus auras,
Usq; adeo malus urit amor. Vix lumina ſolvit
Importuna quies, quum te jam nocte ſub alta
Aſpicio, teneoque & falſa in imagine ſomni
Vadis in amplexus, noſtrisq; illaberis ulnis.
Tunc videor tecum per conſita teſqua frutetis,
Et lucos nemorum, & noſtro pede trita vagari;
Quodq; mihi (Nemeſin nolo meminiſſe) negabas,
Sic ſaltem herboſo unanimes recubamus in arvo.
Eheu! quam brevis hæc, quam inſincera voluptas?
Quam vaga, quam vento, veroq; ſimillima ſomno?
Nam ſimul increpuit nec opino janua pulſu,

Somnus

Somnus abit, miſerumq́; Amaryllis relinquis amantem,
Et fugis in noctem nimboſis ocior Euris.
Ipſe ego dura nimis, noſtra nec idonea cura
Deſero ſtrata amens, Teq; & mea triſtia damna
Mutatosq́; Deos, averſaq; ſidera clamo;
Devoveoq; lares, &, quæ mihi, tecta, doloris
Semina ſubjiciunt, (tanquam mihi tecta doloris
Semina ſubjiciant) ſolosq; relictus in agros,
Qua vagus error agit, feror. hic deſerta querelis
Antra meis, ſilvasq; & concava ſaxa fatigo.
Antra meas, ſilvæq; & concava ſaxa querelas
Excipiunt, geminantq; atq; imperfecta remittunt
Verba, Tuas contra non devenientia ad aureis.
Et quoties, Amarylli, tuus tenet ultima rerum
Thyrſis, & inſano, dixi, intabeſcit amori:
Ipſe quoq; inclamat toties locus, & mea longe
Dicta refert; locus ipſe mihi præſtare negatam
Velle videtur opem, veluti faviſſet amanti:
Sola meas, Amarylli, preces, moturaq; ſævas
Verba tigres, queſtusq; & luctiſonos ululatus
Armeniumq; Arabumq; Notis das ferre per agros,
Surdior & ventis, populisq; ferocior illis.
O quoties Zephyro, quum jam dubitaret, an iret
Ad terras, Amarylli, tuas: quid deinde moraris?
Dicebam: viſurus abis Amaryllidos arva:
I, precor, i; quo te dudum mea vota vocabant,
Et refer inſanos Amaryllidi Thyrſidis ignes.

Sic

Sic neq; ſemifera montana cacumina rupes
Attollant, ladaſq; aſpris in cotibus alas!
O quoties Euro, quem fama venire ferebat
Inde, Age, vidiſti formoſam Amaryllida? dixi:
Ut memor eſt noſtri? uumnam mihi ferre ſalutem
Juſſit? an exciderunt veteris veſtigia flammæ?
Ille mihi contra: ſed formidabile ſtridens
Avolat, irato ſimilis: mihi faucibus hærent
Verba; per exanimes it ſudor frigidus artus.
Heu mihi! quid prodeſt, quod me paſtoria longe
Turba colit, gaudetq; meas audire cicutas:
Si Tibi ſunt odio; ſi tu non tangeris iſtis.
Vix ego tantus eram; quum jam mihi ſuave canenti
Baſia fixit amans, interq; amplexus eundum
Daphnis. Habe hic noſtri monimentum, dixit, amoris.
(Et calamum dedit) hoc nidos impunè ferarum
Sollicitare potes; victis tumida ira reſidet.
Hoc ſilices duros, hoc durum adamanta movebis,
Hoc, quodcunq; voles: quid tum? ſi dura moveri
Haud, Amarylli, potes? plus an feritatis habebas?
At memini certe, quo me laudare ſolebas,
Et mea non ſolas impleret fiſtula ſilvas:
Verum etiam dominam perſæpe veniret in urbem:
Nunc oneri Tibi ſum: nunc duri, o ruſtica, Mopſi
Canna placet, rudibus nuper digeſta cicutis:
Jamq; mala, credo, miſerum diſperdit avena
Carmen iners, raucaq; abſentem voce laceſſit:

Digitized by Google

Ipſa ſedes judex ; tantaq; ego judice dicor
Inferiora ſequi. Non ſic rubicunda Melanis,
Non ſic nata Clide Polymeſtoris, atq; Nomaa:
Amba florentes atatibus : illa canentis
Sape oculos, & ſape errantia labra petivit:
Hac etiam memini, quanquam illo tempore nondum
Ruricolam auderem trahere in certamina Taurum:
Sape mea mira dulcedine vocis & artis,
Et voluit, potuitq; adeo moribunda videri:
Utraq; forma potens; ſpesq; invidioſa procorum;
Thyrſide digna viro ; ſi mens mihi ſana fuiſſet.
Ante ſed ipſe Nicer mutato fonte vocabis
In caput amnis aquas, inverſaq; flumina volvet:
Ante cita fugient nemoroſa cubilia Dama.
Et patrii Batavo paſcentur in aquore cervi:
Quam vel Thyrſi Cliden, fuſcam vel amare Melanin
Aut alio indignos poſſis traducere amores.
Quam Rameſi Nicer eſt, corylis Dodonia quercus
Major, & aëria ſuperant virgulta cupreſſi:
Tam reliquas inter nymphas, Amarylli, refulges,
Tota nitens auro, flammaſq; vomente pyropo.
Faſtus habet pulcras; turgere Amaryllida faſtu
Dixerat Eumelus : Sed non ego forte puella
Deſpiciendus eram, in me mea ludit imago.
Qui malus, aut noſtris intervenit improba votis
Lingua? mei qui ceſſit amor? ne fallite, amici:
Sumne alius, quam nuper? Hylas quum pulcher in
aurem Dice-

Digitized by Google

Diceret : Hic facie ſolus tibi certat Adonis.
Ille quidem dixit : ſed credere poſſe negabam.
Quicquid id eſt, tamen ipſe meos ſpeculatus in undis
Ante fui vultus, nullis quum raderet alis
Eurus aquas, tenuivé vadum trepidaret ab aura,
Ut vidi, ut ſtupui! ut levia menta, decusq;
Oris, & inſignes oculos, frontemq; notavi,
Hirſutumq; ſupercilium, geſtusq; decoros!
Teſtor anum Canacen; quæ, ne mala lingua noceret,
Ter lauro viridi, ter pura contigit unda.
Quid tamen iſta juvant, ſi te mea forma vel ætas
Haud moveat tantum, facies quam lucida Mopſi
Et furtis temerata manus, atq; hiſpida barba.
Quo fugis, ah demens! ſupplex, procul ecce, trementes
Jam tibi tendo manus, ſi non es ſaxea, ſi non
Pectus habes intus, nullo violabile ferro.
Attamen his manibus, quas nunc male ſana repellis,
Sæpe tibi leporem, pavidam tibi ſæpe palumbem
Cepimus, &, Dominam, dixi, placate furentem,
Si meruiſſe putor, ſi non indebita poſco.
His etiam manibus, quas ignorare videris,
Nunc quoq; dona fero; ſeptem aurea mala, decemq;
Miſſa foris, tenui velata Cydonia lana:
Caſtaneasq; nuces, quas olim, Amarylli, petebas,
Cum tibi ſolus amor, pro Tuſco gloria Mopſo,
Indigetes ipſos, & ſidera Thyrſis adibat.
Præterea volucrem, quam me cum ſæpe rogaret

Digitized by Google

Non habuit Crotale; quamvis meruiſſe fatebar;
Et poſthac fortaſſe feret; nam lignea non eſt.
Hanc ego quum laqueo captivam mane tenaci
Solvere tentarem, quem forte tetenderat Alcon:
Arboris ad ſummum magna virtute cacumen
Evaſi, nunquamq; fui propiore periclo:
Et niſi vicina veniens de glande Menalcas
Hærenti ramis, & fatum immane timenti
Iſſet in auxilium: ſcavæ fortaſſe volucris
Paviſſem ſtygias auceps ego præda volucres.
Quid dicam calamos? an & his minus æqua voluntas
Eſt Tua? quamvé mihi nuper donavit amico
Antigenes, dixitq;, Truces hæc fiſtula tauros
Mulcet, & in medio retinet vaga flumina curſu?
Hæc docuit, Tenues volupe eſt audire cicutas,
MAGNE, pater patriæ, noſtris quem ſeptima ſilvis
Reddidit incolumem, fatis volventibus, æſtas.
Hæc, VIDEN' ut patriæ ſurgat flagrantior ora
Phœbus, & immerſum tenebris illuminet orbem?
Hæc etiam Liquidas *mecum trabe venit ad undas*
Atq; ingreſſa viam eſt, quum dio numine Proteus
Fata canens lacrimis Alpes aſpexit obortis.
Talia perſtabat memorans, triſtiq; rigabat
Imbre genas, & vix luctu ſe agnovit amaro:
Audiit, & viridi glaucum caput extulit alveo
Pfinzius, inſolitum juvenis miſeratus amorem,
Et vos Pfinzivagæ, ſolatia vana ferentes
Paſtori, ex imo doluiſtis Najades amne. VIII

Digitized by Google

VIII.

Hoc; quod vides, benevole Lector, caput eſt integri cujuſdam operis, quod nobis de *Veritate Religionis Chriſtianæ* ſub manu creſcit. Diviſum eſt in quinque libros, quibus ea haud fortaſſis inepte comprehendimus, quæ Ludovicus Vives, Calvinus, Limborch, Grotius, du Pleiſe, l'Abbadie in libris *de la Verité de la Religion Chrétienne*, aliique nonnulli, conſulo namque, quosquos poſſum, prolixe tradiderunt. Sed, quum magni ſit laboris, ac diffuſum opus, quod levi brachio radi non decet: decrevi cum bono DEO duos edere libros, quos paratos habemus; reliqui, ſi quid fuero laxamenti nactus, deformabuntur, & primo quoque tempore perfecti apparebunt.

JO. GASPERIS MALSCHII,

S. Theol. Studioſi,

De

VERITATE RELIGIONIS CHRISTIANÆ

LIBER PRIMUS.

SAncte hominum genitor, cæli terraq́, voluptas,
Alme Deus, ſubter flammantia mœnia mundi

Qui mare navigerum, qui terras frugiferentis,
Tractusq; aërios virtute amplectis & auctu,
Et per quem pacata nitet genitabilis aura.
Te fugiunt nimbi tempeſtatesq; ſonoræ,
Horrificiq; ignes, & cano in marmore fluctus
Præcipitant, ventiq; minas & prœlia ponunt,
Spumeaq; innocui permolcent æquora cauri.
Te ſequitur cupide, quo ducit amabilis ardor,
Quoq; vocat, convertit iter genus omne animantum,
Arvaq; perſultant, percuſſa corda tua vi,
Buceriæ pecudes & ſecla animoſa ferarum.
Deniq; per terras omnis, perq; aera purum,
Perq; atros fluctus, perq; orbis latipatentis,
Omnia nativo veſtis inducta lepore.
Qui quoniam cunctis exordia rebu' dediſti,
Et vegetas virtute tua feliciter arſa
In medio curſu, nautasq; vocantibus Euris;
Et nos largus opum dono ſeptemplice lætos
Inſignis, noſtrasq; rapis ſuper æthera mentis;
Quo neque permanent ventorum immitia flabra,
Nec canis æſtivo torrens culta arva vapore:
Tempories ſed mira, ſed una æquabilis aura,
Ridit ubi Sol ſuavituens, nec purior æther
Effunditq; nives è verticibus præruptis,
Et Boreas rapido tellurem turbine perflat:
Te cupio noſtris auctorem verſibus eſſe,
Quos ego de ſumma cæli ratione, tuisq;

Magni-

Digitized by Google

Magnificis factis (per cunctas undiq; gentis
Fama cluit) conor venturo tradere ſaclo,
Inſignemq; tua de luce accendere lucem.
:duus egregiusq; labor! qui corda tenebris
Exuere, & valeat perfundere lumine claro.
Quo magis, o cœli ſanctum jubar, aurea pandens
Templa, voca ſanctum media in penitralia vatem,
Diiciens nebulas, flammai flore coorto.
Te ſine nil altum mens occipit: eja age porro
Huc defige tuos cœlo ſanctiſsime voltus:
Et penitus dignate ſacrum inſpergiſcere numen,
Æthera per purum, membris inlabere noſtris.
Tuq; adeo, quem priſca virûm prudentia tollit
Sublimem ante alios factis præſtantibus omnes:
Qui meritis animos æquas, qui fortibus auſis
Pieridas prohibes longo inſordeſcere luctu,
Et priſcas imis artes extollis ab umbris;
Quem ſibi ſancta Themis, poſito ſquali:re ſituq;
Jam vocat Indigetem, jam cœlo vindicat alto:
Qua locus in medio eſt, bellatorq; explicat alas
Pegaſus: ipſe tibi ſtridentia plauſtra Bootes
Contrahit, & ſpatium curto temone relinquit:
Surge precor, cœptumq; una decurre laborem,
O decus, o fama,   pars maxima noſtræ,
noſter amor: ſi quid mea carmina poſſunt,
Te viridis Ganges, Te barbarus audiet Indus,
Totaq; thuricremas Panchaïa deferet aras.

Interea leges & ſancta oracula fati
Ingredere o mecum, vatemq́ per ardua euntem
Saxa mone: vocat ingenti clamore, Deorum
Maximus ille, animumq́ trahit per & aſpra, & inhoſpita,
Unde ſacri vates tenui veſtigia planta
Dura per ignota rari poſuere viai.
Nec me animi fallit, quam ſint obſcura, proculq́
Rëicit, & longo via dividit invia tractu,
Vicinos jam jamq́ parantem invadere portus.
Tum me difficili pangentem carmina de re
Inter egeſtatem Latii ſermonis in aſtum
Nonne vides pelagi magno turbamine ferri?
Nam, quantumvis verba ſonem longe-aurea, & arto
Clauſtra mari demam: nihilo multeſima dictis
Pars nequit expleri: vix in cœleſtibus oris
Audent pinnigeri cœli ſtellantis alumni
Arcanas reſerare fores, & cernere fata
Regis cœlicolarum. Sed cuppedine ſancta
Icta Deo mens eſt, & facti præmia tanti
Non ipſo moritura rogo, tetigere meum cor.
Nondum convexi fuerant fulgentia cœli
Templa, nec auratis per inania cornibus ibat,
Sidereis invecta rotis, argentea Phœbe:
Non radii Solis, non lucida tela diei
Ingenuos rebus dederunt inlata coloris:
Non aſtra æthereis quæ ſunt adfixa cavernis,

Nec

Digitized by Google

Nec, quæ incerta volant, æterno prædita motu
Pingebant cœli, magnis anfractibus, orbes:
Non terram pecudes, non aëra pennipotentes,
Non mare velivolum mutæ tenuere natantes:
Nondum erat in mundo quidquam genetale: ſed ipſa
Ante creatarum longe primordia rerum
Terrai, maris, & cœli, generisq; animantum:
Unus erat, ſecum ipſe, Deus: naturaq; perpes,
Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
Semota humanis curis, ſejunctaq; plane,
Et cunctis privata doloribus, ſeq; querelis
Immortale ævum ſumma cum pace tenebat.
Nec ſum adeo ignarus, dubitaſſe prioribus annis
Inſigni feritate homines; illi omnia caſu
Dicebant per inane geri: volgoq; jacebat
Religio, domini pedibus calcata ſuperbi.
Hunc nec fama Deûm, nec facta illuſtria quamvis,
Nec fulmen rapido percurrens æthera nimbo
Inflexit, cæcusq; animi, novitatis amore,
Sollicitavit, agens peſſum, vatum aurea dicta,
Aurea, quæ æternis adamantibus indita clarent.
Heu cadere in quemquam tantum ſcelus? aſpice cælum,
Noctivagasq; faces, Lunamq;, & luminis almi
Endoperatorem media inter ſidera Solem:
Hæc unde aucta putes? quænam genitalis origo
Lucis erat? quive ille regit moderanter habenas

Digitized by Google

Omnium, & æquali diſpenſat tempora motu?
An initium ſibimet dederunt emortua cæli
Corpora principióve carent æterna, vel ortu? &c.
Explicit Monobiblos Heroicorum.

Ad Clar.

AUCTOREM.

DOnec erunt Elegi, muſæq; heroa Latinę
Arma, modi vivent, culte poëta, tui.

Ita auguratur

C. C. P.

FINIS.

Digitized by Google